

V
B J
C

HOSPES GRATI ANIMI

SEV

CONGRATVLATIO

AD ILLVSTRISS. DN. D. STANISLAVM A RADZIEIOWICE RADZIEIOWSKI

Palatinum Lencicien. Sochaczowien. &c. Capitaneum

DE ADVENTV SERENISSIMI

VLADISLAI IV.

POLON. AC SVEC. REGIS MOSCHOV. DVCIS ELECTI. NEC NON SERENISSIMOR. PRINCIP. POLON. AC SVECIÆ

JOANNIS CASIMIRI
IOANNIS ADALBERTI
CAROLI FERDINANDI
ALEXANDRI CAROLI

In Domum prædicti Palatini in Radzieiowice. Cuius ibidem è Sacro Fonte SERENISSIMVS ipse cum

SERENISSIMA SORORE POLON. AC SVEC. PRINCIPE

ANNA CATHARINA

per lectiss. Matronam Illustr. ProCancellarij M. D. Litu: Coniugem leuauit Filiolum. Die 23. Mens. Nouemb. A. D. 1632.

A

TVI TVARVMQVE VIRTVTVM ILLVSTRISS. PALATINE LENCICIENSIS STVDIOSISSIMO.



IN ARMA GENTILITIA

Agnum cum Solea video, cum Flore Sagittam:
Sunt Radzieiouiæ hæc inclyta ſigna Domus.
Agnus Virtutem, Famam Flos denotat Iſte,
Cum Solea, Martis geſta, Sagitta refert.
Quam Virtute Domus foelix? Famaq;? Gradiuo
Quam foelix? Clara eſt, Militiæ, atq; Domi.

Toż po Polſku.

Báránká y Podkowę widzę / Kwiát / y Strzałę:
Zacną Rádźieiowſkiego Domu w Znákách chwałę:
Cnotę znáczy Báránek / Kwiát ſławę kwitnącą /
Podkowá z Strzałą Dźielność Marſowi ſłużącą.
Ják Zacnyś záwße Domie / Cnotą / Sławą / Boiem?
Owoś ty záwße ſłynął Woiną y Pokoiem.




S R
P L
C S

RECte etiam a Theophrasto est laudata HOSPITALITAS. EST ENIM, vt mihi quidem videtur, VALDE DECORVM PATERE DOMOS HOMINVM ILLVSTRIVM HOSPITIBVS ILLVSTRIBVS. Idq; etiam reipub. est ornamento, homines externos hoc Liberalitatis genere in vrbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer vtile iis, qui honeste posse multum volunt per hospites apud externos populos, valere opibus & gratia. Theophrastus quidem scribit Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse: ita enim instituisse, & villicis imperauisse, vt omnia præberentur, quicunq; Laciades in villam suam diuertissent.

M. Cic. lib. II. de Offic.





ILLVSTRISSIMO PALATINO LENCICIENSI.

GRATVS HOSPES HOSPITI

Foelicitates Perpetuas.



Irabitur fortaſſe quiſpiam, Illuſtriſſ. Domine, quid cauſæ ſit, quod Rex Sereniſſimus VLADISLAVS IV. recens liberis ſuffragijs electus, expeditis fælicis inaugurationis ſuæ cerimonijs, Te, Domumq; Tuam hæreditariam ea gratia, & beneuolentiæ ſuæ Regiæ prærogatiua ſingulari dignatus ſit, vt ad eam primùm ante alias omnes Senatorij Equeſtriſq; Ordinis Domus deſcendere, Te inuiſere, ſimul cum Sereniſſimis Principibus Fratribus ſuis decreuerit. Vbi non limina Tua tantùm præſentia Sua Sereniſſima illuſtrare cenſuit, verumetiam Filium tuum, quem nuperrimè ſummus rerum author Deus tibi prognatum dederat, vlnis ſuis excipere, ipſeq; ſponſor ad ſacrum Fontem factus, ſacro lauacro tingendum ferre, Chriſti fidei adiungere, Tibi Tuæq; Illuſtriſſimæ Coniugi, cum Sereniſſ. Principe Anna Catharina, perlectiſſimam matronam Illuſtr. ProCanaellarij Magni Ducatus Lituaniæ Coniugem, affinis fieri voluit. Domique tuæ dies aliquot hilarem in modum iucundiſſimè exegit, ſatiſque Magnificis gratijs Te dignatus, in vlteriores fauores Tibi Tuæque Proli præſtandos fide certiſsima & promiſſo conſtantiſsimo ſe obligauit. Cur Sereniſſ. tantam gratiam Palatino præſtiterit.

Sed non eſt quod mirum cuipiam videatur, vbi eius rei rationum momenta, Tibi Tuæq; fælicitati velificantia apud ſe ſe expenderit. Ac in primis quidem quis miretur, cùm Regis Sereniſſimi altiſſimas Virtutes, quas ſiue ſanguis Regius, ſiue ipſamet eiuſdem Natura & exercitatio, in primiſq; author & fons omnis boni Deus, quaſi vno conſenſu vbertim in eo depoſuêre, perſpexerit! Quid dicam? Laudabo omnes? Premo tenuitatis ſuæ oblitum calamum, maiora ſupra vires ſupra ingenium molientem. Laudent alij Sereniſſimi VLADISLAI in Eccleſiam Dei & Patriam noſtrã Pietatem: arma deprædicent alij: excipiant memoriam anni conſequentes camporum Chocimenſium Ottomanico fædatorum cruore: Moſcua victa & ad pedes ſupplex aduoluta tranſmittatur prædicatione ad poſteros: Mirentur alij in Principe tanto Virtutes omnes Regias: Animum ſerium, maturum: grande conſilium, capaciſſimam Bonorum omnium indolem: Neſtoream dicendi facundiam. niſi fortè quis neſciat quanta prudentia inter varios rebus in procellas grauiſſimas coortis ſæpe interceſſerit, I. Cauſa: Altiſſimæ Virtutes Sereniſſ.

ſemper

Præfertim Humanitas eiusdē

semper composuerit? Hæc inquam, & similia alij. Ego in Serenissimo Rege Humanitatem, Comitatē, Beneficiam in omnes mentem suspicio. Quæ quo rariora ferè in sceptris, eò amabiliora & magis admirabilia sunt.

Vt videare, Rex Inuictissime, hocce Tuo in Domum fidelissimi subditi tui ingressu, voluisse te pro Tua in omnes digna Principe Tanto Humanitate, Maiestatem Fulgoremq; illum qui nuper in Te exortus perstringebat oculos intuentium percellebatq;, quasi quodam Hospitalitatis velo temperare! Insiste fortunatisimis cæptis, Rex omnium Polonorum memoria victure. quos non alio certè auctoramento maiori Tibi obligare ac deuincire nosti quam Humanitatis Comitatisq; Tuæ in animos eorum irrepens philtro. Immensum quendam nobis mores tui Humanisimi Beneficentiæ & Clementiæ Tuæ aperiunt Oceanum, qui perenni fluxu ad omnium cuiuscunq; Ordinis hominum voluptatē & vtilitatem deriuabitur. Non potes tam pio hamo, nisi fælicia, tam prudenti nisi sana, tam blando nisi sincera omnia præstare. Imitabimur lubentes Caput membra, Patrem Filij.

Neq; imperio hic opus est, maius imperio Comitas Tua erit. Hic animus Polonorum est, vt nosti, hic genius, Humanitate vinci & vinciri. Obsecutus es ergò Rex Humanissime, Virtuti Tuæ, Humanitati Tuæ. Humanitate Tua & Maiestate Tua Regia in Domo Senatoris tui illuxisti. Quarum vtram magis æstimes ignoro. hanc non ambijsti: illam semper quæsiuisti. Sed quo ardor! siste: suprà calamum.

II. Merita Domus Radzieiouiæ.

Ad Te, Illustrisime Palatine, redeo. Excepisti Hospitem, Hospitem Tātum! Gaude præmio Virtutum Illustris Domus Tuæ. Quæ cùm sanguinis Iagelonij semper elaborasset Regiam sibi demereri Gratiam, eam certissimis semper indicijs stabilitam agnouit. Cui ad cumulandos fauores, & ius gratitudinis firmandum nunc etiam patuit ante alios omnes prima. Qua quidem Gratia Maiores Tui semper in hac Regia Iagelonia floruerūt, præmiaq; digna Virtute sua inclita retulerunt. Testantur id summa in Illustri Domo Tua Munia, & Magistratus Regni, testantur sellæ Senatoriæ, Honores amplissimi clarissima meritorum monimenta. & quæ comitantur hæc, testantur (quæ in signum virtutis exercitæ cesserunt,) Donationes, Hostimenta, Compensationes, & latissima in Illustri Domo Tua pro maiorum Tuorum promeritis regalia bona. Habuit locum apud Reges primos intimus quidam Maiorum Tuorum amor, ex quo plurimùm Illis, in rebus grauissimis & Maximis confiderent. Vnum pro omnibus commemoro, quod tacitus præterire nefas censeo.

Radzieiovvski Palatinus Plocensis, benemeritus de Serenissima Gēte Iagelonia.

Nam Virtuti & Fidei Aui Tui Castellani Gostinensis, ac postmodum Palatini Płocensis, comissæ fuêre in curam, in regimen, duæ Serenissimi Regis Poloniæ Filiæ, tunc ambæ Virgines, nempe Catharina SIGISMVNDI III. (qui proximè à supremo vitæ & mortis Imperatore euocatus, cælestem animam cælo reddidit) Regis Poloniæ Mater; & Amita eiusdem Anna, Regina postmodum Poloniæ. Ille Mareschalcus earundem, ille Magister Curiæ fuit: illius Fidei & industriæ concreditum fuit præclarissimum hoc & preciosissimum depositum. Cui prouinciæ abundè omnium prædicatione fecit satis. Alios lubens volensq; prætereo, ne multus

sim cum

ſim cum alia inuitent potiora, magiſq; Tua. Satis eſt, quod hi qui in euoluendis publicis tabulis aut priuilegijs, quæ ipſa etiam vetuſtate conſenuerunt, non infrequentes ſunt, inueniant hoc proculdubio; quod in Domo Tua præmia ampla Virtutum ſemper reperirentur. Non autem Honorum tantummodo & Dignitatum, ſed redituum etiam opimorum è Regia liberalitate & facultatibus Maiores Tui fuerunt participes.

Tenebant ditione tres Radzieiouij, Ioannes, Nicolaus, & Andreas Capitaneatum Sochaczowienſem; non ita, vt nunc viſitur, minutum; ſed vt illis temporibus in flore fuit, integrum. cum illi Kapinos, Bolemouum, Vilkouum, Mſczonouum, Zatorum aliæq; ſatis amplæ poſſeſſiones erant annexæ. Committi ſolebant integerrimæ Fidei Maiorum Tuorum & Vectigalia omnia Regni. Proceſſerant eo vſq; merita Gentis Tuæ, vt Kapinos, Vilkouum, Mſczonouum, Zatorum, à Capitaneatu Sochaczouieſi ſeiuncta, Rex Sigiſmundus Auguſtus iure perpetuæ irreuocabiliſq; donationis ei dederit; & donauerit. qua gratia ſat longo tempore fruiti ſunt poſteri: ſed tandem iuri ſuo, in Comitijs Inquiſitionis, bono Reipublicæ magis quàm priuato conſulentes, ſponte libereq; ceſſerunt; ſolo Iurefruendi vſq; ad mortem, & certa pecuniæ ſumma contenti. Talia Hoſtimenta, ac Munificentiam talem Principum, nimioplus certum eſt, nonniſi pro maximis meritis Maiorum Tuorum, Domui Tuæ obtigiſſe. Quorum Meritorum Principes, qui ſuccedebant poſtea, grati & memores, ſciebant illa & in ſeris nepotibus Maiorum Tuorum acceptare & ampliare.

Ioannes, Nicolaus, Andreas, Radzieiovvſcy, Capitan. Sochaczouienſes.

Id quod non adeò veteri memoria, pientiſſima illa Regina Anna Iagelonia Amita Sereniſſimi SIGISMVNDI III. Regis palam, & in oculis Orbis totius Poloni teſtata eſt, gratitudinem meritorum Maiorum Tuorum Tuæ perſonæ manifeſtans: Quando te primùm viſo adoleſcentulo adhuc, cum ab exteris nationibus in Patriam remeaſſes (vbi non otio te ibidem tempus extraxiſſe patuit, talemque te fuiſſe faſſa eſt) Te, inquam viſo, & ſine dubio repetito in memoriam Auo tuo, olim Curiæ ſuæ Regiæ Magiſtro, qui ei fidiſſimam eamque diligentiſſimam in obſequijs præſtandis poſuerat operam; Illa inquam, non potuit animum ſuum non aperire, & gratitudinem dignam Principe non exhibere: ſed conijciens oculos in indolem ſub illud tempus tuam, Morumque Probitatem, illicò vltro Iacobum Vchanski, tunc Inciſorem ſuum à Menſa Regia ſubmiſit, qui tibi mentem Sereniſsimæ aperiret, quâ deſtinauerat te in Aulam ſuam adlegere, & inter primos, abiecta omni cunctatione connumerare. Cùm verò dilationem in craſtinum tantum rogares, vt propinquorum & neceſſariorum operâ vtereris, à quibus Sereniſſima Regina te cōmendatū reciperet, vox illa ex ore Sanctiſſimæ Principis, prodijt: Non eſt, cur commendetur nobis Radzieiouius, commendatum eſſe ſatis ex Maioribus ſuis, tanquam de Meliore Notâ. Atq; ita illo ipſo momento, nulla conceſſa mora, Te in aulam ſuam Ipſamet adſciuit, cum teſtificatione ſuæ Sereniſſimæ in Te gratiæ.

Staniſlaus Radzieiovvski qui nūc Palatinus Lencicieñ. adhuc adoleſcētulus adſcitus in Aulā Sereniſſ. Reginæ ANNÆ.

Sola Cōmendatione Maiorum ſuorum.

Cuius equidem gratiæ, initia extitere ſatis manifeſta: Quarta ſiquidem poſt die, ex quo nomen in Aulam eius dediſti, Officio te ſingulari Subdapiferi

Idem Subdapifer eiuſdem Reginæ Sereniſſimæ.

piferi sui dignata est. quod officium Illustriss. Leo Sapicha, nunc Palatinus Vilnensis, tunc verò Cancellarius M. D. Lituaniæ, & Magister Curiæ Serenissimæ Reginæ, Tibi in facie Aulæ totius summa cum Tua gloria & nominis Tui celebritate (quamuis non absq; inuidia aliorum) nomine Serenissimæ Reginæ retulit, & designauit. Anno 1596. die 30. April. Et si Deus Opt. Max. vitæ dies Serenissimæ Reginæ prorogasset, patuisset clarius, multò vberior in hodiernam diem Gratia Serenissimæ in Te, Tuáq; Illustrem Domum.

III. Merita eius propria.

In Aulam Sereniss. Sigismundi III. se confert.

Cui cum supremum Officium præstitisti, illico in Aulam Serenissimi Regis SIGISMVNDI III. Te contulisti, Anno 1597. 26. Martij. Vbi nihil de fidelitate, nihil de diligentia, nihil de assiduitate, nulla ad optimè merendum occasione neglecta, remisisti. Neque verò soli Serenissimo Regi, verumetiam Serenissimæ Reginæ, Annæ p. m. Coniugi eius, Serenissimi verò Regis VLADISLAI IV. qui in præsens regnat, regnetq; perennis fæliciter, Matri, eandem operam fidelium obsequiorum plenissimo affectu detulisti. Cum te in Hungariam primùm Anno 1598. die 2. Ianuarij. ad illum Magnum, & de Repub. præclarè meritum, Vladislaum Bekiessium, nomine suo Nuntium miserat, eademq; occasione summi momenti res Serenissimæ Reginæ expediendas in commissis habueras.

Mittitur à Sereniss. Regina ANNA ad Vladislaũ Bekessiũ in Hungariam.

Postmodũ cõsensu Reipub: totius mittitur in Moscouiam.

Postmodum cum de Tua dignitate & dexteritate satis multum constaret, ex Comitijs Vniuersalibus consensu Reipub. totius, post de mortuum Hospodarum Moschouiticum Fiedorum Iuanouicium, qui improles è vita decesserat, expeditionem suscepisti ad Regiam Vrbem & caput Monarchiæ illius, Moscuam, Anno 1598. 13. Mart. ad Insolentes & Tumidos Boiarios, eo fine maximè, vt tua industria & curà, Serenissimo p. m. Regi dominia illa patuissent. Itaq; in illa ipsa hebdomade, quæ tibi ad iter inchoandum erat destinata; cum illo apparatu & Magnificentia, quâ ad famam retinendam Regni vti par erat; sub tempus ob annonæ penuriam difficilimum, quo in Mag. Duc. Litu. plures inuenirentur matres, quæ rabie inediæ concitæ filios proprios ad leuandam famem mactarent; nullam passus es intercedere ad iter perficiendum moram: nullam rationem commoditatum & quietis habuisti: nullis impensis & sumptibus proprijs pepercisti: tardatio in te nulla fuit. Quia verò, ipsi iam Smolensko proximus, didiceras; quod decem & tribus ante diebus, quam tu Varsauia fueras expeditus, se Hospodarum magnum nuncupasset Hodonow, qui apud de mortuum Tribunus stabuli fuerat, nec te admittere voluit ad sui conspectum prius, quàm literas & auctoritatem perscriptam à Serenissimo Tuo Rege ad illum tanquam ad Ducem supremum tunc iam electum habuisses (quam tunc habere tu non potuisti, si quidem à Repub. tantum modo ad Tumidos Dominos & Boiarios missus eras,) Orsam regredi inibique septimanas octo decem in tanta caritate annonæ, & angustia subsistere coactus es, responsum & denunciationem nouam à Serenissimo Rege tuo expectaturus. Et si tempestiuiùs maturiusque ad id officij Serenissimo, Reiq;pub. præstandum expeditus fuisses, omni remoto dubio pro tua Industria, & rebus agendis Prudentia qua polles, Gratiaq; fauente Diuina, cui com-

cui comparandæ ſolerter ſemper inſiſtis, optimam Regi Domino Tuo & Reipub. ea in re operam collocaſſes. Dedit id nihilominus REX Sereniſſimus aliquando Tuæ ſolertiæ, dedit tota Reſpub. palam; Nihil de Tua vigilantia in eo genere, diligentiaq; deſideratum fuiſſe.

Sed & tum patuit prudentia maturitaſq; tua, ſi vſpiam, quando cum reliquis à Sereniſſ. Rege & à Repub. vniuerſa Commiſſarijs, deſignatus fueras Commiſſarius & arbiter ad miſſionem faciendam militi, reſcindendamq; Coniurationem exercitus, Magni & Illuſtris tunc Legionarij Ducis Ioannis Sapieha Capitanei Vſuiatienſis. Et, licet fuerint plures vt dixi, ad componendum id negotij Commiſſarij à Rege Sereniſſ. & à Repub. deſtinati, tamen (quod ſine inuidia dictum ſit aliorum) Tibi maximè & Rex Sereniſsimus, & Reſpub. debet, quod illam tunc illo onere preſſam, periculo grauiſſimo, adiuuante Deo liberaueris. Et quod exemplo Coniurationis Sapiehanorum extinctæ, altera quoq; Coniuratio Zborouianorum militum extincta fuerit. Tibi enim Rex Sereniſſimus tribuerat tantùm, vt ſynthema ſeu literas ſeparatas ad vniuerſum exercitum Coniuratorum tradiderit, in quibus illa verba reperias. Wrácamy ná zad do Wier. W. Vrodzonego Stániſłáwá Rádzieiowſkiego Káſztellaná Ráwſkiego. Ktoremu iżeſmy to poruczyli / áby nie tylko ze wſzyſtkiemi Wier. W. w obec / ále y z niektoremi z oſobna priuatim, zkim on bedzie rozumiał / pewne rzeczy imieniem náſzym kommunikował / chcemy áby mu w tym y od Wier. W. wſzyſtkich w obec / y od káżdego z oſobná nie wątpliwa y zupełna wiárá dána byłá. A my vpewniamy / że we wſzyſtkim namowy iego y poſtánowienia z twierdzić rzeczą ſámą y łáſka náſza bedziemy chćieli. Ktorą wſzſtkim w obec Wier. W. á tym wiecey z oſobná y priuatim okázáć ſkutecznie gotowi ieſteſmy / ktorych o niey / przerzeczony Káſztellan Ráwſki od nas vpewniáć bedzie. Záczym życzemy W. W. ręc. Dan w Wárſzáwie dniá 22. Mieśiącá Octobra. Anno 1613.

Concrediderat tibi etiam REX Sereniſſimus prope vicena cum feneſtellis, ſeu nudis intermedijs, Priuilegia pro annona pecuniaria & ſalarijs diuerſis; vt pro tuo arbitratu in bonum Reipub. illa tractares & expenderes. Conceſſerat & illud tibi Sereniſſimus Rex, iudicio eorum quos à Conſilijs tunc habuit, vt ad diſſoluendum illum tunc exercitum, vti poſſes ſumma decem millium florenorum. Tu verò quid feciſti? ita dextre & fæliciter, res tibi commiſſas tranſegiſti, vt nulli omnino, ne ex Collegis quidem tuis vni aperueris quod fidei commiſſum habueras tuæ. cum inde totius operæ tuæ & laboris ſumma, inde ſalutis tuæ ſecuritas, (præſertim cum Inuidia ſæpè optima quæq; ſubruat) dependeret. Illudq; effeciſti, vt bona & Oeconomia Regis Sereniſſ. ac Officialium diuerſorum, quæ militum inſolentia in prædam ſibi cedere voluerat, ſpoliationi ſubtraxeris, & in integro ſeruaueris. De quo Collegæ Tui literas ad Sereniſſimum Regem dederunt, ex quibus hæc depromuntur:

Fit Commiſſarius ad reſcindendam Coniuratonē militum Sapichanorum.

Eiuſdem Fidei conceduntur à Rege Sereniſſ. priuilegia certa cum feneſtellis, Et, decē milliū ſumma ad Cōfœderatorum animos flectēdos:

Náiáśnieyſzy Oćiwy Krolu

Pánie Pánie náſz Mćiwy.

Præclarè negotium conficit cum Confœderatis. Cuius rei Teſtimonia.

Litteræ Collegarum.

PRzez te dwá dni / iáko ſie Jego Mość Pan Rawſki od W. K. M. wroćił / prácowáło ſie około tego / żebyſmy co pewnego / y poćieſznego zá tym przyiázdem Jego M. P. Ráwſkiego z tym woyſkiem vmowiwſzy W. K. M. oznaymili. A tá przyczyná ieſt przedłużenia tego ozaymienia náſzego. Teraz tedy iáko ſkoro odpráwiły ſie namowy náſze / to co ſie odpráwiło / y ná czym rzeczy ſtánely W. K. M. oznáymuiemy. Naprzod pomnieć to W. K. M. raczyſz (pewniſmy tego) Oczym ſie W. K. M. dawáło znáć / że to woyſko prefigowáło ſobie było czás czekánia zapłáty / y odliczenia pieniedzy do dźieśiatego dniá Septembrá / do ktorego dniá gdźieby im byłá zapłátá nie ſtánelá / mieli ſie z obozu ruſzyć / gumná y Czynſze w Oekonomiách W. K. M pobráć / ſtácye w dobrách Slácheckich roſpiſáć: odliczone pieniadze / iedni w kontentácya ták dlugiego czekánia miedzy ſie rozebráć / drudzy bácznieyſzy ad rationem zapłáty wziać chćieli / &c. &c. In his terminis tedy przed przyiázdem Je° M. P. Ráwſkiego były náſze rzeczy. Teraz zá tym świeżym poſelſtwem W. K. M. przez Je° Mśći zmiekczył á to Pan Bog ſercá tych ludzi w przedśiewźiećiách ſwoich. Byli bárzo rádzi zwrocenia Jego Mśći / w ktorym byli koniecznie zwatpili. Zá tym iż názáiutrz dla wielkiey niezgody kolá generálnego mieć nie mogli / tedy dniá wczoráyſzego frequentiſſimi do niego ſie zbieżeli / Jego M. P. Ráwſkiemu audientia náznáczywſzy. Przyiety był z wielka wdźiecznośćia od nich / y z wielkim poſzánowániem. Wſzyſcy ſtoiac ſlucháli liſtu W. K. M. ktory przeczytawſzy / vżył czáſu Jego M. P. Ráwſki w oney ochoćie ich z ktora go przyieli; áccomoduiac ſie przemowa ſwoia / á potym náchyláiac dexterrimè ánimuſzow ich od przedśiewźiećia do żadánia W. K. M. náſzego Mćiwego Páná / &c. &c. &c. Ták tedy z nimi ſtánowiwſzy / y podźiekowawſzy P. Bogu że nas przez ták ſcześliwa praca Jego Mśći P. Ráwſkiego / y te wſzyſtke ſpráwe náſze z tymi ludźmi w oſtátnie zátrudnienie podáć ieſzcze nie raczył / ná ktore ſie było bárzo zánioſło / gdyby byli od ſwego przedśiewźiećia y pierwſzego poſtánowienia Jego Mśći P. Ráwſkiemu odwieśdź ſie nie dáli. W. K. M. co napredzey oznaymić to wſzytko chćieliſmy / ábyś W. K. M. o tym wiedzac opátrowáć miłośćiwie raczył czego dáley tá ſpráwá potrzebuie / ꝛc. ꝛc. Hoc ex literis illis Collegarum Tuorum hic inſerere placuit. Regis verò ſereniſsimi literæ, his verbis ad te miſſæ ſunt.

ZYGMVNT III. z łaski Bożey Krol Polski,

wielkie Xiażę Litewskie, Ruskie Pruskie, Mazowieckie, Zmodzkie, Inflanckie y Swedzki Gotski Wandalski Dziedziczny Krol.

Litteræ Sereniſſimi.

VRodzony wiernie nam miły. Acz w liśćie do wſzyſtkich W. W. Námieſtnikow...

iákoż

iákoż przymuiemy y łáská náβá Wier. T. to nágrodźić obiecuiemy. Zadáiąc ábyś ſpolnie z inβymi nie vſtawał w tym / żeby z tey tám przynamniey ſtrony Rzeczpoſp. vwolniona bydź mogłá. Ná nas iáko przed tym nic nie ſchodźiło/ ták y dáley ſchodźić nie będźie. A teraz podawamy Wier. W. te ſpoſoby ktore rozumiemy w tym pieniężnym niedoſtátku należące do vięćia pewnych z tey tám gromády oſob/ co z liſtu náβego Wier T. wyrozumieβ. Ná ten czás życzemy Wier: T. dobrego od Páná Bogá zdrowia. Dan w Wárβáwie dniá XVI. Mieśiącá Wrześniá. Roku Páńſkiego M. DC. XIII. Pánowánia Kroleſtw Náβych / Polſkiego XXVI. á Szwedzkiego XX. roku.

Sigiſmundus Rex.

EX illis verò Priuilegijs, quæ feneſtellas vt dixi continebant, Fideí tuæ traditis, aliquot tantum, dum res id omninò exigeret, vſus es; reliqua verò Sereniſſ: Regi in manus integra reddidiſti. Ex ſumma verò Decē Millium quam approbante Sereniſſ. Rege, pro voluntate tua & libitu tractare potuiſti, nonniſi medium ſupra tria Millia expendiſti. Atq; ita totum exercitum tumultuantem in tranquillum redegiſti, & apocham ſeu teſtimonium perſcriptum, cum ſubſcriptione Mareſchalci (in qua Rempub. totus exercitus & Sereniſſimum, debitis ſibi omnibus eliberat, cohorteſq; ſoluere ſine vlla inferendæ iniuriæ bonis quibuſcunq; nota ad promittit) adhuc ante exuſtam coniurationem Sereniſſimo Regi attuliſti.

Quod verò tunc non interfueris præſens cum ſublata exureretur Coniuratio, Regis Sereniſsimi iuſſu euocatus hoc feciſti, Inuidia gliſcente interim inter quoſdam, qui contra Te exercitum tunc concitare, Tibiq; militum animos infenſos reddere contendebant, maleuolè ſpargendo in vulgus, te pecuniam illam (cuius illi vſum & expenſas ſcire nequibant) in tuam Priuatam Rem, & non Reipub. Commodum conuertiſſe. Verùm tu officio tuo, non ſegniter inuigilans, vt maleuolis & inuidis occaſio omnis virtutem tuam infuſcandi præcideretur, illud à Sereniſſ. Rege impetraſti, vt ferret Suum, & eorum, qui tunc lateri illius Regio adhærebant, de Fide Tua, & Fidelitate integerrima teſtimonium. Coram quo tanquam coram tuo Principe & Domino Clementiſſ. veritatem expenſarum tuarum luculenter explicuiſti. Quare retuliſti cum ſubſcriptione manus Sereniſſ. Regis, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſ. Cancellarij Regni, qui etiam hodie viuit, tunc verò Magni Secretarij munus obijt, in hæc verba fidem manifeſtā.

Wβem w obec y káżdemu z oſobna/ komu to wiedźieć należy oznáymuiemy/ ſtáráiąc ſie z káżdey miáry o to/ áby Confederáci Brzeſcy iáko nayprędzey rozwiedźieni byli mogli bydź / pozwoliliſmy zá zdániem PP. Rad / przy nas ná ten czás będących / Vrodzonemu Stániſłáwowi Rádźieiowſkiemu Káβtellanowi Ráwſkiemu / iednemu z Commiſſarzow/ do zapłáty támtemu woyſku náznáczonemu/ áby ná tym prędβe woyſká rozprowadzenie pułczwártu tyśiecy złotych vżył. Co iż on przed námi werifikował / dáiemy mu ná to átteſtácyą náβe / że to pomieniony ſummy wydánie/ zá wiádomośćią y pozwoleniem náβym ſie ſtáło. Ná co ſie dla więkβey pewnośći ręká náβá podpiſáliſmy / y pieczęć przyłożyć roſkazáliſmy. Dan w Wárβáwie dniá 18. Mieśiącá Stycznia Roku 1614.

Teſtimonium Sereñ. de expenſa pecunia.

Hæc mu-

Hæc munera & obſequia à te præſtita, quo animo & quam grato Rex Sereniſſimus accepta tulerit, etiam nunc viuunt, qui teſtes, viri omni exceptione maiores auriti & oculati fuerunt. Quibus, inquam ſpectantibus audientibuſq; Rex Sereniſſ. viua voce in corona aſſiſtentium frequentiſſima, vicibus aliâs & aliâs repetitis tibi gratias egit, fauores & præmia cumulatiſſima pollicitus. Quia verò hanc obſequij rationem quam Regi Sereniſſ. & Reipub. conſecraueras, à Deo, ſicut & reliquas tuas functiones ſoles, orſus eras; ideo Deum pro fælici ſucceſſu precatus, voto ſingulari te obſtrinxeras, Loretum Te ad domunculam Virginis Sanctiſſimæ conferendi. Quocirca differre ſponſionis tuæ ſolutionem noluiſti, ſed impetrata à Rege Sereniſſ. poteſtate, itineri huic te promptiſſimè commiſiſti die 7. Decembr. An. 1614. Quo fæliciter peracto Liminibuſq; Diuorum Petri & Pauli Apoſtolorum vna piè ſalutatis, rediſti Omnibus Bonis deſideratus in Patriam, ad renouanda S. Regiæ Maieſtati obſequia, Reiq;pub. munia obeunda. Quo tempore & Regi Sereniſſ. Domino Tuo, & Sereniſſimæ Reginæ Conſtantiæ, ac toti Sereniſſ. Regis Proli digniſſimæ, ita ſedulò & diligenter tuam dedicaſti operam, vt quidquid cogitationem tuam ſubijſſet, quod Sereniſſimos velle ſcires, promptiſſimè exequereris.

Votum exſoluit, quo ſe obſtrinxerat Loretum eundi.

Aperiebantur interim variæ expeditiones, & præſertim illa generalis contra Turcam in Valachiam, contra Guſtauum in Pruſſiam. Vbiq; latus Sereniſſimi Domini tui tenebas. imò exemplo tuo alijs præluxiſti, modicâ ſatis poſſeſſione facultatum inſiſtens: vt alij etiam ducti exemplo tuo ferè primo, manipulos turmaſq; militum illuſtres Regi Sereniſſimo ſiſterent. Quando verò te valetudo aduerſa à Sereniſſimi Regis obſequijs ſeiungebat, nihilominus Tu Filijs tuis Nicolao & Hieronymo (quibus ad Reipub. promerendum dux & author ſemper es) vicariam operam commiſiſti, nullis ſumptibus, nec quibuſcunq; parcendo impenſis. Didiciſti gratum te exhiberegratiæ Sereniſſ^mi Regis, pientiſſimæ memoriæ, ad extrēam vſque vitæ eius periodum. quod & poſt fata quoque clariſſimè teſtatus es. Nempè ei, qui te & Capitaneum Sochaczowienſem iam multò ante fecerat, & tam inſignibus Honorū titulis & dignitatibus poſtmodum ornauerat: qui Te Caſtellanum Rauenſem primùm, dehinc Palatinum Rauenſem, tandem Palatinum eminentiorem Lencicienſem creauerat: necnon liberalioribus auxiſſet ditionibus, vtpote eum, cuius Generoſitas, Hoſpitalitas, & Merita in Rempub. id exigebant.

Expeditiones in Valachiam & in Pruſſiam

Tu enim vnus numeraris ex ijs, qui & affatim & ſæpiſſime, ſummaq; cum alacritate animi Sereniſſimum Regem Tuum cum Cōiuge ac Prole Sereniſſ. menſa tua excepiſti: Rexq; Menſæ Regum dici meruiſti. Tu propter Famam Regis & Regni nullum Sanctiſſimi, nullum aliorum Exterorum Regū aut Principum Legatum è Regno abire ſinis, cui cumulatiſſimam Hoſpitalitatem & Humanitatem ampliſſimam in Tua Domo non exhibeas. Nullū tempus eſt, quo non ad ſalutandos & excipiendos æquè ſummos ac infimos Amicos fores tuæ pateant: nullus eſt quem non exporrecta hilarique fronte excipias, nullus eſt qui non tibi obligatus à tuo diſcedat limine. Talis tantuſq; animus tuus dignus eſt, præter alia tua promerita, Gratia ſingulari.

Hoſpitalitas eiuſdem.

Quia

Quia verò Virtutis semper comes est Inuidia, eam ob rem tu etiam sæpè & sæpius multorum inuidia laborasti, qui quantum potuerunt, tantum vel officerent lumini tuo, vel retardarent cursum gloriæ tuæ: qui facta Tua illustria in partem traherent pessimam, qui Candorem tuum de nigrare, multoq; aliter quam in te enituit interpretari conarentur: qui verba Tua, mente optima, vtpote ab amplissimo, & prudentissimo Senatore Regni prolata aliter quam res postularet explicarent, in deterius detorquerent, omnia & dicta & facta verterent in crimen. Virtutis Comes Inuidia.

Sed erant etiam; qui censerent tibi perquam nocuisse, & ad Serenissimi Gratiam vlteriorem impedimento non mediocri fuisse, quod tu tempore illius infaustæ Secessionis sub Pokrzywnica præsens adfueris, in Anno 1606. Sed multum ea in parte hallucinabantur, & longè opinione sua fallebantur, & falluntur. Primum, quod hoc Serenissimum, nec minimè quidem offensum reddiderat. Cum enim infælici illo Dissidio falsò & inuidiosè spargeretur: Libertates Nobilium minui, iura patriæ conuelli, immunitates tolli: euocati sumus eo consilio, vt perspiceremus, quodnam Ius conuelleretur? quæ tolleretur libertas? quid Respub. detrimenti caperet? Nec agnoscere potuimus. Alterum est, quod nesciant, Te voluntate, imperioq; Serenissimi sub Pokrzywnicā venisse, & non ex libito tuo. Ego enim apud te olim videram literas p. m. Illustriss. Domini Minski Vice Cancellari Regni, qui ad te manu sua hæc scripserat: Falsa Criminatio retellitur.

Jest to wola K. J. M. abyś sie wm. pod Pokrzywnice miedzy druga Bráćia vdał/ abyś otwierał oczy ludziom rożnym/ ná niewinność K. J. M.

Quibus acceptis literis contulisti te eò Sed quod aliquid vel minimum molitus fueris contra S. Regiam Maiestatem; vel quod cum seditiosis coniuraueris, aut consilia communicaueris, vel nomen Tuum sub aliquid scriptum posueris, vel (quod auertat Deus) contra Serenissimum Regem Dominū tuum armatus sistere, eiq; arma intentare cēsueris, hoc nullus, nullus penitus, quantumuis maleuolus totus mente & animo in hoc institerit, non modo non conuincere, sed nec probare, imo nec fidem vlli facere potuit. Tulisti tamen animo generoso ab inuidis & maleuolis plurima. Nam hi tibi omni culpa vacuo, & innoxio, Bielscensem Ditionem ademerunt, eaq; priuauerunt. Hi tibi ad augmentum fortunarum tuarum, hi ad præmia pro meritis tuis capessenda, vias obstruebāt. Mutuebāt nimirùm, ne si incremētum rerum dignitatumq; fecisses, maleuolentiæ eorum rependisses. Tu verò hæc omnia animo æquissimo ferre didiceras, sorte contentus Tua, quam Deo Optimo Maximo largitore es nactus. Memor illius; SOLVM Esse diuitem, cui quod habet, est satis. Tu, Te, supra quam ferat conditio Tua, non euehis: Te ea, quæ gratia Serenss. Regis tibi obtigêre, æquum pacatumque, vt plura insolenter non appetas, reddunt. Atque quem ad modum, gratissimum te exhibuisti Sereniss. Regi Tuo quoad vixit, ad eundem Proli dignissimæ eiusdem nunc semper gratitudinem tuam ostendis, & magis ac magis ostendere allaboras.

Ac maximè quidem Sereniss. Regi VLADISLAO IV. quem Deus Ter. Opt. Max. sua iam antè æterna voluntate, nunc verò omnium coniunctissimis IV. Merita in Serēn. VLADISLAVM IV.

simis

ſimis ſuffragijs, auſpicatiſsimè in locum Patris ſui ſuccedere decreuit. Dum enim ego mecum recolo, ſpatium præteriti temporis, quo iam dudum obſequia tua promptiſſima huic Sereniſſimo, totiq; Proli Sereniſſimæ Regiæ conſecraſti; hoc reperio quod quantumcunq; inueniantur plurimi, quos antiquitas meritorum Sereniſſimo hodie facit commendatiſſimos, Tu tamen illis omnibus, ſi ſanæ mentis ſtatera rem expenderimus, palmam in eo genere præripere videris. Nam tu eras primus ille, in Aula Sereniſſ. Regis SIGISMVNDI III. qui, dum Regina Poloniæ Anna, Mater Sereniſſimi Regis hodierni Vladiſlai eundem vtero ferret, expenderesq; tecum, eam Lumen olim Regni, totiuſq; Reipub. Chriſtianæ decus ac ornamentum geſtare, non paſſus es, vt ſtipatores Regij & doryphori aut ij quibus moris erat grauidam portare Sereniſſimam Reginam alienigenis, ampliùs id muneris illi obirent; ſed Tu ipſe primus eras qui vocato ad id officij ſocio, hodierno Caſtellano Siradienſi, Sereniſſimam Reginam, abactis ſtipatoribus illis, cum tam fælici fætu ſupportaſti, nec vlli vnquam in poſterum homini extraneo & peregrino, niſi forte tuæ dignitati fuiſſet par, concredere id muneris voluiſti. atq; exinde exemplum Tu Teipſo, rei optimæ aſſeclis omnibus Regijs pulcherrimum præbuiſti. Vnde liquidum eſt, Te initium obſequiorum tuorum Sereniſſimo Regi VLADISLAO IV. etiam cum nondum ſuſceptus in lucem fuiſſet, feciſſe. Vt verò idem Sereniſſimus Infans à lacte materno ſubductus eſt, nullius alterius Fidei, à Serenisſimis, & à Staniſlao Fugeluedero (qui olim ob altiſſimas ſuas virtutes apud Sereniſſimos multum in gratia valuit) ad geſtandum fouendumq; ſinu concreditus fuit te vno excepto. Tu tempus omne pubertatis Illius cum Eo percurriſti, Tu ex commiſſo Sereniſſimorum in Iuuentutis eiuſdem occupationibus, cautiones quaſdam adhibebas, Tu in prouectiori iam ætate Regi Sereniſſimo eidem exercitiorm variorum pulcherrimorum adiutor, tu iucundus comes eras: Tu venationis variæ præcepta certa tradidiſti: Tu iam maturo annis, omne genus obſequiorum candidè, liquidò, & conſtantiſſimè detuliſti: tu nunquam de ſtatu animi tui, ſemper Sereniſſimi obſequijs inhærens, paſſus es te dimoueri. Tu ad extremum, modò quoque omnes ſpes poſt Deum tuas in hoc Sereniſſimo defixiſti. Quem quia Deus Ter. Opt. Max. in hoc Solio Regali, ad quod poſt Pijſſimum Patrem ſuum aſcendit, Te fecit intueri, non tantum fide id mihi perſuadeo, ſed etiam ſcientia conuincor, quod inde in animo Tuo, quam concipis omnes ſuperas voluptatem.

Et in Sereniſſimos alios Principes.

DE Sereniſſimis quoq; Principibus alijs, atq; Sereniſſima Principe Anna Catharina, Deus bone, quàm modis omnibus velles bene promereri, & omni officiorum genere, omni ſtudio & obſeruantia eos deuincire?

Quod cùm Rex Sereniſſimus Noſter VLADISLAVS, & Principes Sereniſſimi, perſpicerent, promptiſſimè illud aggreſſi ſunt, vt apud Te ita ſibi deuotiſſimum, rerumq; ſuarum ſtudioſſimum, ſuam beneuolentiam & fauorem teſtem Gratiæ deponerent. Ac proinde prima excurſio Sereniſſimorum poſt fælicem in Regnum Poloniæ inaugurationem Sereniſſimi VLADI-

SLAI

SLAI Fratris sui, noluerunt vt aliò fieret primùm, quàm in Domum Tuam; vt tibi animi grati, & fauoris sui intra Tuos parietes monimentum relinquerent. Quare & filium Tuum in Domo Tua propria, è sacro Fonte leuare, & ad memoriam rei æuiternam VLADISLAI nomine insignire censuerunt; & multis donis ac magnificis pignoribus Domum Tuam, in qua liberè & hilarè, non secus ac propriâ aliquot dies insumpserunt, illustrarunt: maximis fauoris & gratiæ indicijs (cuius testis eram oculatus) exhibitis: deprecationibus & suffragationibus Tuis pro re aliorum auditis: meritorum Tuorum Tibi Proliq; Tuæ æquissimis compensationibus sanctissimè adpromissis.

Magna hæc sunt. Sed age Inuide, si quis es, est ne cur mireris aut inuideas, quod hic ita meritus & de Serenissimo Parente & de Serenissima eius Prole, Vir, referat nunc dignum studij, constantiæ, & fidei suæ fructum? & á Serenissimis suis animi gratitudinem? age inquam, Inuide, si quis es? non inde sume illicium inuidiæ, ne liuore tabescas, animo conficiaris. quod inuidos subire fere necessum est, quantumuis simulent. Scitum enim illud: Inuidus alterius rebus marcescit opimis. Et: Inuidus suipsius tormentū est.

Iure igitur meritissimo, ego totus Tuus, & Tuorum intimus, Illustrissme Palatine, destinaui ad te Virum Amplissimum & Illustrissimum, hāc mittere gratulationem. Quam mitto. Tibique ex animo Gratulor: mihi Gaudeo. Quod Serenissimus Rex Tuus, & primò ante alia vt iam indicaui, & ad te Primum, vt Rex Monarcha & Princeps Tuus esse cæpit, in Domum Tuam, subditi sui fidelissimi, studiosissimi, & obsequentissimi alacri animo & sereno vultu descenderit, tantoq; honore Te dignatus sit. Neque verò ille solus, sed etiam cum Sereniss. Principibus Fratribus suis amantissimis id censuit faciendum. vt ostenderet se cupere, vt noueris non solùm eius in Te beneuolentiæ amorem, verumetiam Sereniss. Principum Fratrum suorum propensissimam addictissimamq; voluntatem. Voluit Serenissimus Rex, filium Tuum Salutari Lauacro tinctum sacris initiare; non illo consilio tantùm vt illum ad Christum adiungeret, sed etiam vt haberet eo commodiorem & æquiorem beneficijs suis cum onerandi, cùm id merita illius exposcent, occasionem. Ex quo ego incredibilem capio animo lætitiam: capere possunt & omnes Tui qui te vel sanguine tangunt, vel consuetudine tua vtuntur, cum tuam adeò amplam suspiciunt dignitatem. Sed video ceu in speculo, quod Tu maiorem longè & vberiorem animo tuo percipias voluptatem, cum palàm tanta Gratia Serenissimorum perfruaris. In quo vt vlteriorem etiam atque vlteriorem progressum facias, opto Tibi, Deumq; Opt. Max. precor animo quo possum ardentissimo.

Eidem Gratulatio de Familiæ vetustate.

SEd quia huc direxi calamum, vt Tibi quam possum debitam afferā Gratulationem: da veniam obsecro (ne tibi Homini Modestissimo adspergam ruborem) vt, non aduentum tantùm Principis Serenissimi in Domum Tuam, sed etiam illud totum quod in Te luculenter suspicio, hac, eadem breuiter & quasi compendiario modo Tibi gratuler occasione. Ac pri-primùm quidem gratulor quod venias è familia fundatissima, natusq; sis

inDo-

in Domo, quæ virtute, splendore, antiquitate nulli cedit, vincit autem multas. Tua siquidem Prosapia, sexcentis abhinc annis pro copiosissimis meritis, dignitates diuersas, vt Priuilegia testantur, referebat. Gratulor tibi non tantùm maiores Tuos Illustrissimos, sed etiam Virtutes & amplissima facta tua propria; cum omnia vt manifestè supra patuit, quouis in loco & tempore ita direxeris, vt nullus omnino etiam inimicissimus, meritò quicquàm tibi opponere possit. In iudicijs quibusuis tam publicis quam priuatis mansit virgo semper fides Tua. Nullus vnquam expertus est, vt aliquo animi morbo fines æqui vel transuersum vnguem excederes. quod maximè Incolæ Terræ Sochaczowiensis quibus iam annis triginta & tribus ius dicis, experientia didicere, & propalam hodie etiam confitentur. Nullum ex vicinis tuis oppressisti: ius nullius violasti. imò potiùs iniurias & offensiones, quibus appetebaris ab hominibus sortis longè minoris, (quibus vtpote superior viribus resistere potueras) pacatissimo tulisti animo. In prosperis non efferebaris; in arduis æquam seruasti mentem non secus ac in bonis.

Virtutibus proprijs.

Gratulor non minus Tibi vinculũ Consanguitatis & Cognationis, quo maxima cum parte Regni huius es coniunctus. Nam & cum Illustrioribus Familijs in Masouia habes tuas parentelas; quarum officio vsus, plurimum ex opera tua & studio ponere potes, in Regis Serenissimi, & in Reipub. obsequijs. Qualis est domus Illustr. Niszyciorum. nam Filia Tua Niszycki Castellano Sierpscensi, Palatini Belzensis filio nupserat. Qualis Domus Illustr. Krysciorum, Zieleniorum. nam Radziejowska Kryscios genuerat. Qualis Domus Illustris Karnkouiorum; vtpote quibus idem stemma est, & inter quos partitiones extant æqualium possessionum. Quales Domus Illustr. Parisorum, Oborsciorum, Bogleuiorum Gloskouſciorum, &c. nam Głoskowska mater Tua, Oborska verò Auia Tua fuit. Habes Tuas parentelas & in Russia, ex Domo Illustr. Herburtorum. Tuæ enim Coniugis matrem Herburtouia genuerat. Ex Domo Illustr. Snopkouiorum; nam Snopkowska coniugiem Tuam primam p. m. progenuerat. Ex Domo Illustr. Sobiesciorum; nam Tua Coniunx prior demortua Sobieska fuit: illius Clarissimi & rei militaris scientissimi viri, Sobieski Palatini Lublinensis (quem homines delicias generis humani indigitabant) filia, & soror germana Dignissimi & de Repub. optimè meriti Iacobi Sobieski nunc Regni Incisoris. Atque hinc habes, & cum ijs omnibus coniunctiones, quibuscum his intercedit necessitudo. vt, cum Amplissimo Regni huius Officiali, Thoma Zamoyski, & alijs quàm plurimis. Habes tuas parentelas & in Maiori Polonia ex Domo Illustr. Przyiemsciorum, Rozrazewiorum, &c. Habes & in Minori Polonia cum diuersis Familijs. Sed singulare illud, dignumq; Perenni Memoria vinculum habes, cum Domo Illustr. Ossoliniorum. Nam cum Parente istorum, qui nunc in Repub. nostra Illustres florẽt, Palatino olim Sendomiriensi, Clarissimo & Dignissimo in Repub. nostra Senatore, tunc cum Reipub. operam vestram præstaretis ambo in Coniuratione Sapiehanorum militum rescindenda, iuramento mutuò firmastis inter vos & inter Prolem vestram perpetuò seruandam indissolu-

PARENTELIS varijs. In Masouia.

In Russia.

In Maiori Polonia.

In Minori Polonia.

Illustre vinculum amicitiæ.

dissolubilem amicitiam. Nec id accidit leuiter aut inter mensas, interque hilaritates Conniuiorum aut compotationes vt solet, sed summa cum deliberatione & maturitate, in æde templi sacra, impransis, ieiunis, multa frequentia exercitus Sapiehani. Vbi vnus è familia S. Bernardini Sacerdos, facto ad vos antelogio illustri, manus vestras stola sacra in perpetuum animorum nexum copulauit, vobisq; fædus amoris æternum imposuit, & vos pariter iureiurando fidem vobis mutuam obstrinxistis. nec tantum vobis, aut inter vos, sed etiam progeniei vestræ, interq; progeniem vestrā æternis tēporibus amicitiā constantem & amorē perpetuum seruandū deuouistis. Quod eo fine commemoro, vt ab vtrinq; id nulla obliteret obliuio. Quinimo tam Vos, quàm Posteritas vestra colatis id memoria sempiterna. meminetitisq; id officij esse vestri mutuò vosmet inuicem, dum res exigit, consilio, fauore, & amore vtrinq; adiuuare. Et (quod auertant superi) si aduersa fortuna Familiæ alterutri aliquando ingrueret, teneri vos, officio ac iureiurando imperante, vno animo annixos, res nutantes, mutuo auxilio, operaq; mutua fulcire, perinde ac si vnius Domus rata portio & sanguis essetis eiusdem germinis genuinus. Habes parentelas in Podlassia Illustr. Wodinsciorum; Tua enim proles & illi, consobrini sunt, & fratres germani ex amita. Habes idem vinculum necessitudinis cum Illustr. Lesnouolscijs, Drohyccijs, Brāscijs &c. Habes parentelas etiam in Prussia cum Illustr. Dzialynscijs. Tuū siquidem parentem Dzialynska progenuit. Habes cum Illustr: Weyherijs; nam Coniunx tua præsens è Weyherowna genita est. Habes cum Illustr. familia Kostkorum; Kostkowna enim Mortęskam, quæ Weyhero nupserat, peperit. Habes & cum Illustr. Domo Bakouiorum: Tua siquidem soror è Patruo, Bakowski Succamerarij Pomeraniæ coniunx est. Habes denique parentelas, in toto eoque latissimo Magno Ducatu Lituaniæ; nam coniunx Tua præsens, Filia est illius Clarissimi est fortissimi viri Ioannis Sapiehæ Capitanei Vsuiadiensis, Quæ Domus Illustr. Sapiehorum, sicut cum omnibus ferè Familijs, & hic in Regno & in Magno Duc. Litu: Consanguinitate coniuncta est, ita & Tu ad omnes eosdem Tuam propinquitatem iure reuocas, eisq; vinculo amicitiæ & affinitatis connecteris. Præsertim verò cum Illustr. Domo Dvcvm Sanguszkorum: Illustr: Domo Kiszkorum. Tua enim Coniunx, è sorore germana Matris Illustr^m istorum progenita est. Habes cum Domo pariter Illustr. Chotkieuiciorum; nam Chotkieuicij filia Patrem vxoris Tuæ genuit; Cum Domo illustr. Ducum Radzyuilorum. nam Illustr. Cancellarium Lituaniæ Radziuilum vinculo fraterno adiunxisti tibi adhuc Antuerpiæ in Anno 1614. Eodem teneris nexu cum Illustr. Radziuilo Campidvctore Magni Duc. Lituaniæ. nam Illustr. Dvcis Coniunx, & & Tua præsens, sorores sunt ex Sororibus germanis. Eodem cum Illustr. Mareschalco Curiæ Mag. Duc. Litu. nam illius Coniunx, Amita est germana Tuæ prolis.

In Podlassia.

In Prussia.

In Litvaniæ Dvcatv.

Aliorum vero Amicorum, quos Humanitate tua, Liberalite, Beneuolentia, & diuersis item officij generibus deuinxisti, texendorum quis esset finis? Quos inter Summos & Clarissimos Viros Palatinum Sendomiriensem,

sem, SVPREMVM REGNI Exercitum Ducem. Palatinum item Russiæ, Palatinum Bełzensem, Palatinum Derpatensem, Illustr. D. D. Kazanouios habes in loco sanguine iunctorum amas ceu tuos, obseruas tanquam strictissimo vinculo consanguinitatis essent tecum copulati. In statu verò Ecclesiastico quis tanquam Amplissimum Senatorem, & Catholicæ rei studiosissimum meritò non veneretur, non amet, non prædicet?

De Matrimonio.

Gratulor Tibi & illud, quod sicut in primo tuo Matrimonio, fuisti exemplar morum, & idæa alijs Côiugatis; in quo nemo vnquã inter vos simultates, dissensiones aut diffidia, lyncæis etiam oculis annotare potuit: sed vtrinq; velle vnũ, idemq; nolle fuit, ita & in præsenti repetito Cônubio, sic tuis Deus annuit prosperè rebus, vt Tibi dederit longiùs iam ætate prouecto, talem Sociam vitæ, qualem votis tuis postulasti. quacum concordissimè, & in arctissimo amore fælices viuis dies. Nam & liberali forma, venustate corporis, & maturitate iudicij par omnibus alijs facile est; sed pietate, verecundia innata, obsequio quod tibi suo amantissimo præstat Consorti, summissione animi, longo post se interuallo relinquit plurimas.

De alijs varijs Gratulatio

Gratulor illud quoq; Tibi, quod nihil agas, nihil tractes, nihil ames, nisi quod Animo Generoso & Nobili dignũ sit, dignũ Senatore Regni clarissimo. Nullam abire diem finis, quâ non rei diuinæ intersis. Quâ expeditâ, subditorũ querelis aures lubens accomodas, & supplices libellos quos porrigunt, diligenter examinas. Cum mortuis etiam (quod aiunt) loqueris: Nam documenta variorum, qui sunt quidem vita functi, sed scriptorum monumentis apud omnes doctos viuunt, studiosè relegis, & codices illorum quantum per tempus licet, operosè euoluis. Equos iuuenes, necdum lupato bene assuetos, condocefacere ad numerum te præsente iubes: in hasta côcursoria torquenda ad annulum, vt ipse à teneris dedicisti, ita non segniùs iuuentutem etiamnum exerces: Venationis diuerso genere, dato potiori tempore & loco, vrgentioribus negotijs, animum releuas. non ita enim, vt vetus dictum illud tibi à quoquam assui possit; quod vnus de venatoribus scripto reliquit: Quod obliti melioris negotij, diem perdũt. Domi verò Tuæ, adeò decenter, honestè, commodè, & ordinatim viuis, vt hospitem, quantumcunq; numerosus, aut illustris ille compareat, hilari exporrectaq; fronte semper excipias. Mereri etiam de Principe & Patria æquè alibi ac in Comitijs Regni, Palatinatuũq; simul cum Filijs Tuis, (quos florẽtes iam ætate non sine animi Tui voluptate conspicis) nihil moraris. Deniq; quod caput est, Saluti Æternæ Animæ Tuæ sedulò inuigilas: exemplo Probitatis, Pietate in Deum, Liberalitate in egenos prælucens alijs. ac in vltimo vitæ fine rectè terminando studiosissime allaboras. Nemo igitur bonus, nemo prudens, te non felicem ac beatum dixerit. Cur enim, aliquis inuidus id detrahat tibi, quod omnium calculis tenes?

Cum verò Tu sis talis ac Tãtus mihi, Palatine Amplissime, qualẽ quãtũq; Te hic ego ex veritate non ex opinione, ex bona fide non ex assentatione exprimere studueram; Quomodo Princeps Tuus Serenissimus Te non deamabit? quomodo animum suum beneuolum tibi non tantùm priuatim sed etiam palàm & in oculis omnium non exhibebit? Qui fieri poterit vt Tuæ

in ætate

in ætate hac matura Fidei apud Principem Tuum non tribuatur locus? qui Gratiæ ipsius per totum vitæ eius decursum studuisti, & nunc etiam impensè studes. Cur non magnam concipere spem debes animo, quod & Tui, quoad vita superstes eris, & prolis Tuæ post Tua fata singularem rationem sit habiturus? Nihil addubita: tantummodo efflictim supplica Deo, vt auspicatissimum & diuturnum eius protendat imperium. Non existima, vt perdita hominum maleuolentia, Te aliquando tractura sit in inuidiam apud eum, qui altissimo iudicio præditus, omnia ex sapientissimo pensat consilio: & qui per id tantum temporis probatissimam expertus est animi tui in se firmitatem.

VT verò omnes qui te amant, eò vberiorem materiam lætitiæ de Te habeant, impellor, vt Aduentum Serenissimi Regis Domini Nostri Clementissimi in Domum Tuam, & Cerimonias in tingendo Fonte Sacro Filio Tuo Vladislao, & amænitates Loci Radzieiouiciorum, & Hospites tuos sub illud tempus præsentes, breuiter & strictim percurram. Aduentus Sereniss. Radzieiouicios.

Die 22. Nouebris: qui erat Dies Lunæ. Cum iam Serenissimus REX, simul cum Serenissimis Principibus Radzieiouicijs vicini essent. Obuiam venit Palatinus Lenciciensis, vt potè Hospes Hospites Tantos excepturus, cum Filijs suis suoq; comitatu facile nobili, licet non tam longè progressus sit; nam maturus Regis Sereniss. Aduentus, omnium existimationem anticipauit. Ibi quâ cum alacritate & animi promptitudine, Sereniss. Regem & Sereniss. Principes cum tota Aula Serenissimi præstolaretur, non tam verborum multorum phaleris, quam affectu animi & effectu declarauit. In Domum deinde propriam Serenissimos introduxit. Ibi verò vbi Serenissimi excensionem fecerant, Illustriss. Palatina, vt pote Mater familias, cincta satis copiosa & lectissima Illustrium Matronarum corona, quæ Serenissimum VLADISLAVM, vt REX Poloniæ Electus & denunciatus est, non viderant, operiebatur. Quam Rex Serenissimus Serenissimiq; Fratres salutatione accipere, & ad manus osculum admittere aliasq; omnes tum præsentes dignati sunt. quæ cum in orbem, suam quæq; vicem, in salutando obijssent, Illustriss. Paterfamilias eodem in loco præsens pauca quædam voce hilari ad Serenissimum verba fecit. Quibus insinuauit, quod non tâtùm ipsemet Paterfamilias Tantorum Hospitum semper studiosissimus, nūc verò etiam fidelissimus subditus cum suis omnibus; sed hic quoq; (inquit) fæmineus sexus incredibilem inde capiat voluptatem, quod Te Deus Opt: Max: solio Parentis Tui auspicatissimè voluerit succedere, Quodq; Te Regem & Dominum Nostrum, Domi Meæ intueantur. vnde superis habet gratias, & vna eademq; contentione voces nobiscum ad sydera tollunt. VIVAT, VIVAT REX VLADISLAVS. interim varia tormenta pyrio fartâ puluere ingentem longo repetito boatu fragorem ediderunt. Qui Triumphi, tempus illud totum acceperunt, vsq; dum Rex Serenissimus in penetrale designatum ascendisset. Ibi cum constitisset Rex Serenissimus, & vt primum strepitus in cedentium subsiluit; Palatinus Lenciciensis Domus suæ Princeps iterum oratione disertissima Regem Serenissimum accepit, quâ Prima dies Aduentus.

pit, quâ beneficij eius magnitudinem luculentissimè extulit. Quod innata illius Humanitas tantum descenderit, vt in Domum subditi sui fuerit dignatus primum Rex Poloniæ proclamatus venire: deuouens interim ac substernes imis pedibus Serenissimæ R. M. Se, Suos, omnemq; Domum suam, ad arbitrium eiusdem. His ita peractis, & honore Serenissimo debito reddito, duxit Principes Serenissimos, ad sua quemq; palatia. Quibus similia officia similemq; gratiarum actionem, quam ante Sereniss. Regi exhibuerat, exhibuit. Hoc, decurrente hora à meridie tertia, agebatur. Palatinus post hæc pro commodo Serenissimorum, & ad deponendas itineris molestias, tantisper secessit. illud summè adnitendo, vt nulla commoditas quæ Serenissimis in Domo eius, ac alijs Hospitibus fieri potuerat, deesset. Aliquanto post, cum iam iudicaret paulò liberiorem Serenissimum, ingressus est conclaue Regis, ab eo vt disceret quandonam mensis fercula inferri imperaret. Qui de tempore edoctus, in id maturabat omnia, Quintâ iam horâ, vt mensa instrata est epulis, perrexit vt Regem Serenissimum cum Serenissimis Principibus ad Triclinium deduceret. Ad quod cum descendissent, ipse Paterfamilias mantili Serenissimis post elutas manus porrecto, locum sessioni Serenissimo, Serenissimisq; accommodatum designauit. Mensa in longum producta, totum occupauerat Triclinij spatium; in cuius capite Rex Serenissimus cum Serenissimis Principibus sedit. tum post interuallum cubitorum aliquot à Serenissimis seiuncti, Senatores, Officiales, & Aulæ Dynastæ locū occupauerant. Assidebat Materfamilias ipsa cum Filiabus eiusdem Palatini eidē mēsæ: vt socias haberet non segnes in tractando tot tamq; Illustres Hospites. Vbi ad potionem ventum est, sumpto Paterfamilias poculo decenti & commodo, Regem Serenissimum primum poposcit: incredibilem præseferens lætitiam, quod Regem Dominum suum in Domo sua liceret ei intueri; simulq; votis omnibus adprecans salutes æuiternas, longissimum fortunatissimumq; imperium, eiusq; indies copiosissimum incrementum. Dum verò haustum finiret Paterfamilias horrendo fragore vnum increpuit tormentum. Inde Rex Sereniss. Serenissimum Principem Casimirum eodem poculo inuitauit: dumq; haustum Serenissimus Rex finiret, tria intonuère tormenta. Cum verò Serenissimus Princeps Casimirus bibisset, duo clangore tormenta immugière. idem repetitum Principibus Serenissimus Ioanni Adalberto, & Carolo Ferdinando, Alexandro Carolo cum suas vices in eodem poculo exhauriendo obirent, cum omni apprecatione Incolumitatis ac Fælicitatum Regi Serenissimo à Serenissimis. Exinde in orbem propinari cæptum est ab Officialibus & Aulicis Serenissimorum, qui in comprecationibus Faustitatum omnium Serenissimo non segnes, fuerunt: eademq; serie & cæteri omnes vicibus aliquot ad primos redeuntibus orbem finiebant. Nō multo post iussit Palatinus poculum iustæ magnitudinis affabre factum, mero generosissimo Vngarico impleri, Coniugisq; suæ manu præhensa eam duxit ad Regem Serenissimum, quæ poculum illud manu tenens, pedibus Serenissimi Regis prouoluta, poposcit vt mos solennis fert, & officium Matris familias exigit, vt Legi insistendo Auitæ, poculum illud ab ea no-

mine

mine Crateris Philotesij, qui conciliandæ amicitiæ gratia Nouis Hospitibus præbibitur, pro singulari sua Humanitate & Clementia acceptare dignaretur. Attulit primò excusationem Rex Serenissimus, eo quod non insolens ei fuerit Radzieiouicijs ante hospitari. sed cùm Materfamil. respondisset, Quod sua Regia Maiestas, nunc primum, vt Rex Poloniæ factus est, Domum illam inuiseret; cessit rationi allatæ, poculumque Humanissimus acceptauit. exemploq; Regis Serenissimi, Serenissimi quoq; Principes iuxta proportionem id faciendum duxerunt; & reliqui, qui Hospitum Nouorum nomine suscepti erant, id officij subierunt. Nec hi solùm, sed etiam plures alij, quantumuis sæpiùs Radzieiouicios inuisissent, illi, inquam, gaudere iure primò venientium Hospitum non renuerunt. Hoc igitur, cum horas duas aut tres accepisset, Tandem Serenissimus Rex & Principes Serenissimi à mensa in palatia concessere. Palatinus Serenissimo Rege in penetral deducto, inibiq; propinatis poculis aliquot, Aulicis Serenissimi Regis, cum apprecatione Salutis Serenissimo, adprecatus item auspicatissimum Serenissimo noctis decursum, discessit, vt eodem genere officij, & beneuolentiæ Principibus Serenissimis gratificaretur. Demum commoditatibus omnium quàm optimè prospectis atq; prouisis, eorum quoq; qui in comitatu Serenissimorum venerant, penetrale ipse quoque proprium petijt. Sicque dies prima hæc aduentus Serenissimi Radzieiouicios finem sortita est.

Postridie eius diei, hoc est, Martis die, penso diuinarum precum persoluto, req; sacra, quæ ab aliquot Sacerdotibus cum Symphonia musica fiebat, rectè obita, Rex Serenissimus in conclaui serijs quibusdam expediendis perfungebatur. Principes verò Serenissimi, (vt pote ij Hospites, qui illas nunquam antea viserant ædes) ad lustranda diuersa genera Officinarum ac Officiorum, quæ illa Domus seruat, vti ad Viridium, topiaria arte elaboratum, ad Viuarium seu theriotrophium, aliaq; similia loca, se contulerunt; vndecimæ donec horæ signum daret horologium. Inde Rex Serenissimus Serenissimiq; Principes ad sacellum, quod ibi habetur consecratum, & plurimis Indulgentiarum gratijs cumulatissimè dotatum est, descendere dignati sunt, vt filium Illustrissimo Palatino sacro Fonte leuarēt. Aderat etiam Illustr. Domina, Illustr. Domini Sapiehæ Mag. Duc. Litu: ProCancellarij coniux Domo Danielouicia, vt Serenissimæ Principis, ANNÆ CATHARINÆ suoq; nomine sacro Fonte ferret infantem. Hic interim allatus est. Quem à Matre, Matris eiusdem Infantis, Rex Serenissimus Dominus Noster Clementissimus manibus suis exceptum, tenuit eo vsque, donec Illustrissimus Episcopus Culmensis, magnum Reipub. Polonæ columen, Iacobus Zadzik, Magnus Regni Cancellarius, tyara Pontificia redimitus ad salutare Lauacrum, quo tingendus Infans erat, accessisset. Ibidem pro more Romanæ Ecclesiæ insistebatur cerimonijs. Cum verò tempus imponendi nominis adesset, quæsiuit ex Patre Infantis Rex Serenissimus, quo nomine filium nuncupari vellet? Pater cum dedisset id voluntati & arbitrio Serenissimi Regis, Rex Serenissimus nomine illum VLADISLAI insigniuit. Atque his piè riteq; peractis, Infantem Illustri Dominæ

Secunda dies Aduetus Serenissimi.

Rudzka Rex Serenissimus reddidit, à qua eundem acceperat, vt eum Matri, quæ tum in alio subsistiterat ædificio, deportaret. Atq; ibidem tunc Illustriss. Palatinus Lenciciensis prouolutus ad genua Serenissimo Regi accidit; proq; tam munificentissimo Fauore & Gratia præstita, operaq; collocata, quibus addecebat verbis amplissimas egit gratias. Interim aliquot horrisonis tormenta ictibus increpuerunt. Posthæc Paterfamilias deducto Serenissimo Rege ad Palatium, operam dedit, vt maturè, & quàm optimo ordine mensa ferculis integeretur. Quod dum fit, Rex Serenissimus per Magnif. D. Rylski Cubicularium suum misit ad Matrem Infantis iconicum simulachrum Faciei Serenissimi SIGISMVNDI III. REGIS POLONIÆ Patris sui. Donum sanè præclarissimum. Nempe quod ex auro obryzo fabricatum, in orbem adamante distincto inclusum, torques aureus variatus pyropis religabat: Donumq; eò insignius, quod è Regis Serenissimi liberalissima Munificentia venerit. Successit huic & aliud donum, quod Serenissima Princeps Anna Catharina submisit è cimelijs. erat autem Crux ex adamante purissimo effigiata; adiuncta insuper vlterioris Fauoris ac Beneuolentiæ pollicitatione. Additum hisce muneribus & Illustrissimi ProCancellarì Mag. Duc: Litu: Coniugis munus satis insigne & pretiosum, auro solido diues acinacis. Nomine interim Illustrissimi Archiepiscopi, Regni Primatis, Nuncius cum fælici comprecatione recens nato Filio, & Domui toti Illustriss. Palatini aduenit qui in thesseram de nato Filio lætitiæ, Carchesium deauratum illustre reddidit. Nomine item Illustriss. Domini Thesaurarij Regni oblatum munus perquàm auro elegans; quod tria corda vnum alteri imminēs exprimebat. Sub illud ipsum tempus fercula data, mensas operuêre. Palatinus verò Serenissimum Regem adiens, iterum repetita actione gratiarum copiosissima duplicis beneficij titulo: & quod Filium suum Rex Sereniss. è Fonte sacro leuauerit, & quod Muneribus eundem liberalissimè auxerit. rursumq;, Se Suaq; omnia in obsequium deuouens ad pedes eius proiecit.

Antequam autem ad mensam accessisset Rex Sereniss. (distulerat siquidem Rex Sereniss. admissionem in Cubicularium suum D. Hieronymi Filij Palatini, in hæc verba, Varsauiæ: Cum sacro baptismate ablutum Tibi Filium Radzieiouicijs restituam, tunc etiam Tu Filium Tuum alterum in Cubicularium mihi trades. His verbis Serenissimo reuocatis in memoriam Palatinus) tradidit Filium suum Hieronymum in Cubicularium Serenissimo. Cumque illo affectu commendauit, quem Paternus suggerebat Amor. Quâ autem alacritate ac vultu illum Rex Serenissimus susceperit, Constat testimonio Illustriss. D. Cancellarij Regni, & horum omnium quos præsentes tunc spectasse licuit. Eodem ipso tempore D. Nicolaum Laszczewski Scribam Terrestrem districtus Rauensis, & R. D. Vszynski Luceoriensis Metropolitanæ Custodem in Secretarios suos Serenissimus, eiusdem Palatini commendatione suscepit. Atque posthæc egressus, mensæ accubuit. Mensarum numerus die hac creuit; crescente frequentia Hospitum. Quos inter vel maximi; Illustriss. Regni Cancellarius, & Illustriss. Siradiensis Castellanus, Illustr. ViceCancellarius Mag. Duc. Lituaniæ Il-

Illustr. Thesaurarius Regni cæterique non pauci. Aderat etiam inopinatò aduentu Vir Illustris, & in Silesia facilè primus, Eques Maltensis, D. Comes de Dona.

In ipso exordio mensæ Paterfamilias à Rege Sereniss. petijt, vt diem illam baptismo Filij sui solennem, hilari & sereno vultu trasigere dignaretur, vtque ad eam rem Chori sui Regij melos organicum, vocumq; cantus adhiberi ad mensam permitteret. Annuit petitioni Rex Serenissimus lubentissimè. Editur itaq; hilariter, mulcente Symphonia dulci aures omnium & animos. Deuenitur ad pocula: Tum Paterfamil: hesternum in morem, faustissima cum apprecatione Serenissimo Regi propinat primùm, signum comprecationis tormento vno ingenti boatu denunciante. Cum verò Rex Sereniss. cum Sereniss. Fratribus, aut prouocarent, aut responderent, tormenta quasi nullo discrimine ordineq; ad apprecationes pleno ore detonuêre. Omnibus verò mensis vinum generosissimum frequentissimis spumabat cyathis; omnesq; vina coronabant. Ipso Rege Serenissimò propinante, propinantibusque Serenissimis Principibus Pocula Senatoribus, Officialibus, & nonnullis Aulæ Primatib⁹. Cæterũ Materfamilias cum Filiabus sui Coniugis Palatini (nempe Castellani Sierpscensis, & Succamerarij Sochaczowiensis Coniugibus) strenuè officiũ munusq; tractationis obibãt: modo Serenissimos, modò Illustrissimos Senatores cæterosq; Aulæ primarios poculis inuitando. quod horas aliquot bene lõgas extraxit. Cũ verò Rex Serenissimus geniale illud tempus & amænum iam claudere cogitaret, cyathum non omnino minorem, falerno impleri iussit: atq; Illustriss. Comiti de Dona (S. Cæsareæ Maiestati Salutem & Fausticates omnes, omnibusque Exercitus Imperatorij Ducibus & Polemarchis cõprecãdo) præbibit quod dum faceret quinque tormenta applausum dedere horrisonum. Illustriss. verò Comes de Dona cum responderet, duo tormenta explosa, applauserunt. Hoc poculum, vbi in orbem reductum substitisset, concessit à mensa in Palatium Rex Serenissimus. Quo, cùm, caterua densissima comitante deductus esset, Illustr. Succamerarius Regni, ibidem cyatho Patremfamilias (salutarem Regi Serenissimo esse volens) Paterfamilias verò genu humi nixus Illustrissimos Senatores & reliquos Proceres prouocauit, pro fælici & auspicatissima Regni administratione vouens. Quod ipsum vltrà horam etiam productum fuit. Illud tamen nihil displicentiæ aut molestiæ Serenissimo Regi, (pro eius innata humanitate) intulit. Nec intulisset protractum diutius, nisi Paterfamilias rationem ducens Serenissimi, prudenter Hospites alio auocasset. Cæna interea apparabatur: Rex verò Serenissimus & Serenissimi Principes, quieti aliquantum indulsêre. Nec adeò multum post, Rex Serenissimus, vt beneuolentiæ suæ tanto maiorá argumenta Patrifamil. ostenderet, misit qui ei significaret: Se, in eius penetrali sumere cænam velle, simul cum Serenissimo Principe Ioanne Casimiro. Ad quam adiungeret etiam pro loci angustia, tantùm Illustrissimum Cancellarium Regni, & Illustrissimum Siradiensem Castellanum. Nam pluribus admissis Hospitibus; nec illis, nec Regi Serenissimo commodum fuisset. Accepit hoc ceu signum Beneuolentiæ euidentissimum Regis Serenissimi

nissimi

nissimi Paterfamilias & ita omnia probè & apposité accomodauit, vt alia Cæna Serenissimis Principibus, alia Illustrissimis Senatoribus, Officialibus, & Aulæ primatibus alia, alia Cubicularis, alia in Illustriss. ipsius Palatini inferretur penetrale; Vbique certis adstitibus & xenagogis relictis, qui omnem abundè lautitiam sufficerent. Suæ igitur Paterfamil. Cænæ adiunxit Illustrissimum Cancellarium Regni, & Illustrissimum Siradiensem Castellanum cum Coniuge eiusdem. Cumq; iam epulum mensa constitisset, Rex Serenissimus cum Serenissimo Principe Casimiro venit; quibus Paterfamil. accidit ad pedes supplex, multaque gratiarum actione summam & incredibilē beneuolētiā Serenissimorū celebrauit. Monuerat Rex Serenis^mus Patremfamil. Coniugemque eius vt mensæ assiderent suæ, cum ante Hospitibus nominatis. Quod tempus omninò, vt honestissimis ita iucundissimis hilaritatibus amænum abijt. Paterfamilias verò, animi gestientis lætitiam non prodere minimè valens, nonnulla etiam maturis annis insolita, prodidit: Vino benè plenum vitrum capite solo sustentans, agili pede subsiliebat in speciem chori ludens, crucisque in modum (eodem vitro in vertice subsistente (ad terram coram Serenissimo accidebat, & cum eodem vitro, nullo eius periculo variè sese rotabat, & quoquo versabat; quod non sine admiratione tam Serenissimus Rex quam præsentes reliqui spectauere. illud ipsum vitrum vino nobilissimo plenum coronæ assistentium, faustissima omnia Serenissimo apprecando, propinauit; nec illud substitit donec orbem finijsset. Atque his dies illa finem suum, Serenissimo in Palatium deducto; est sortita.

Tertia dies Aduentus Sereniss.

Tertia dies, quæ erat dies Mercurij, præter consuetudinem omnes diuturniori quiete detinuit, longioremq; imperauit soporem. Tandem ad rem diuinam, quæ à pluribus fiebat Sacerdotibus, ij quibus vacabat, aderant. Serenissimi quoq; seorsim, Sacrificio, quod in sacello cum musicorum concentu peragebatur, intererant. Non multò post Rex Serenissimus, Patrifamilias significari fecit: Quod in vicinum campum ientaculo sumpto, voluerit venaturus descendere. Re cognita, Paterfamil. ientacula curauit diuersis danda præparari; factumq;, vt & Regi Serenissimo, & Serenissimis Principibus separatæ, & Senatoribus, Aulæq; Dynastis, & reliquis alijs iterum separatæ apponerentur mensæ. Interim Vestigatores, cæterique venatorij ministri, plagis sepiebant saltum proximo campo adiacentem. Serenissimi verò Principes antequam apparerentur mensæ, sumptâ quasi prægustatiuâ comestione è falganis, antidotis, & alijs conditaneis fructibus, diuersas ad placitum ambulatiunculas & exercitia instaurarunt. SERENISSIMVS ALEXANDER, comitatu suo stipatus, & securi ab excubitore & custode Aulæ accepta, illud exercitij animi causa haberi voluit, vt pinum quandam vico proximam, præcrassam, & prægrandem, solus, nullius opera vsus auxiliatrice, deijcere contenderit. quod & facto ipso non difficile præstitit. Postmodum; iam recreati cibo Serenissimi, inscendêre equos, omnisq; manus promptior; ipseq; Palatinus Serenissimos comitari debuit, assignatis adstitibus his, quos in Aula manere oportuit, ne quidquam commodi absentia Hospitis, Hospitibus auferret. Nullus autem non

tem non lautè, non pollucibiliter, non splendidè habitus. quod nemo, nisi forte Theon sit inuidus, non fatebitur. In ipso Campo Serenissimi cumprimis recreati. Par enim vulpium, canes ferarum odoratores, in plagas è saltu abegêre. Vtramq; vulpem, viuam Illustriss. Palatinus à reti in saccos abstrudere, tertiumq; leporem viuum seruari iussit. Quam vulpem vtramque in æquore plano postmodum tenerioribus vertagis emisêre. Nec illis quidquam illa detentio fuit impedimento, quò minus è saccis emissæ præpropere fugerent, etiam in via salebrosa. Vna siquidem illarum, vertagorum sequentium præuertit longe & elusit cursum; alteram, rapidissime insecuti, vix vix præhenderunt. Lepore verò, qui supererat, viuo, suos catellos excitare ad cursum Serenissimi Principes in aperta planicie instituerunt. Tres vix abierunt horæ, cum venationi finis datus est, ac domum reditum est commodè. Mensæ, pro more, in publico accubuêre. Vbi eadem lautitiâ totum id, quod dies hesterna viderat, eademq; lætitiâ, & ijsdem ex integro Hospitibus peragebatur. De hinc Serenissimi in palatia sua sese recepere. Prius tamen Serenissimo Rege deducto in eius conclaue Regium. Vbi hora bene longa substitêre omnes, cum alijs Primarijs Hospitibus, mille salutes, mille bona, mille beatitates Regi Serenissimo apprecantes. Sub hæc Paterfamilias abductis è Palatio Regis Serenissimi Hospitibus, salutationeque in crastinum dicta Serenissimis, Illustrissimos Hospites reliquos suo penetrali accepit, ibiq; datum genio est quantum licuit, nec cessatum est, donec Scanderet aurato medij fastigia cæli Luna iugo. Atq; ita finem accepit dies tota amæna, tota genialis.

Die quarta, quæ fuit Dies Iouis, imperauit Rex Serenissimus suis vt accingerent se itineri. Quod vbi cognouit Paterfamil. subijt mox Palatium Regis Serenissimi, moram vnius eius diei precibus summis efflagitans; præsertim cum dies illa festo Diuæ Catharinæ illustris esset. significans, & penu, & cellas omnes sufficientes esse promendo. Imo sustinere posse, etiam longiorem Regis Serenissimi mansionem. Sed Rex Serenissimus petitioni, dispositionem viarum à se factam, quam mutare negotiorum series non permittebat, opposuit. Recepit tamen, non sine cibi sumptione itineri sese commissurum. Quamobrem, omnes mensæ præstò citissime apparabantur. Intererea tamen SERENISSIMI PRINCIPES animi causa ad hortum descenderunt. Serenissimus verò PRINCEPS ALEXANDER petita à Patrefamil. potestate, Ceruum pro Serenissima PRINCIPE Sorore, in theriotrophio è fistula ferrea ita aggressus est, ita dextrè plumbeo globo confecit, vt cùm nondum humi procumberet, occisione extinctus sit. Quem Illustriss. Paterfamilias currui impositum misit Serenissimæ PRINCIPI, in signum & pignus, animi gratissimi quod Filium eius Sacro Fonte per lectiss. Matronam Illustr. ProCancellarij M. D. Litu. Coniugem leuauerit; totq; Gratijs Fauoribusq; dignata sit. Quod ipsum Serenissima Princeps habuit gratissimum. Sumpto de hinc cibo & potione (quæ in discessu, ac dum Vale dicitur sumi solent) lautiori; soluit Hospites desideratissimos, summo ~~cum~~ cum suo dolore Paterfamilias. Serenissimis gratiarum actione quam maxima instituta, & reliquo Comitatui.

Quarta dies Aduentus Serenissimi.

Cui

Cui, pari Beneuolentia, Serenissimi Cæteriq; omnes, pro lautissimo epulo respondere. Tum in diuersa diuersi cessere. Nam Serenissimus Rex cum Serenissimo PRINCIPE CASIMIRO ad Magnif. D. Osmolski, nobilem Domi suæ non indigentem: Serenissimi verò alij Principes, Varsauiam petière. Cum quibus Illustrissimi Senatores, Officiales, & Aulæ non pauci Primates iussu Serenissimi Regis abière.

Descriptio Loci Radzieiouiciorum.

AMænitas Loci Radzieiouicij quanta sit, non potest satis explicari; Certè si vel solum Aërem spectes, tanta est, vt experientia constet, quod quicunq; eò venerit, siue angore animi vexetur, citò discussis tristitiæ nebulis recreetur; siue etiam teneatur morbo, facile receptis viribus conualescit. Quod partim prouenit possitione loci commodissima, partim, quod faciliùs crediderim, recta atque ordinata in omnibus administatione reifamiliaris sciti atq; industrij Patrisfamilias eiusq; perhumana & Hospitalissima alacritate. In hac enim domo, non est quod desiderari queat.

Radzieiouice, est Pagus non numerosus adeò; nam colonos glebæ adscriptos vltra 20. non censet; si his diuersorium addas commodissimum, quod equos 200. facilè capere potest. Sed sunt nihilominus, qui ad hunc Pagum spectent, eumq; quasi in orbem coronent, prædia Octo; vicino intra vacua, syluis, arboretis omnigenas feras continentibus nobilissima; stagnis qualia in his oris visuntur non postrema, cumq; decem hydromylis.

Aula.

Aula Pagi huius, est opus factum structura cæmentitia. quam Arcem fortassis non dixeris, cum non Arcis, referat formam. rectiùs appellaueris honestissimum Nobilis Poloni Palatium: cum magis commodum sit quam superbum. Imminet aquæ scatebra fontis semper emicante, riuoq; perenni faciente fluuium. Qui fluuius in quinq; redundat stagna satis ampla. Ex hoc Palatio prospectantibus, stagnum se primùm obijcit amænissimo situ. Stagni in medio assurgit Cænaculum quadrarium, firmissimis incumbens sublicis; ceu pharos quædam pergulis & appendicibus cinctum in orbem, non infabrè exædificatum. vbi te variè oblectes cum Amico. Sunt & aquæ alia ex parte Palatij, perenni latice bullientes è superius iacente stagno deriuatæ, quæ allapsu suo totum illud palatium circinant. In ipso verò palatio est illud commodi. primum quidem, Sacellum latere structum, multo polychromate & picturis illustre; D. Stanislao Cracouien. Præsuli dedicatum. Cuius beneficio, à Paulo V. Pontifice Max. primùm, & postmodum ab Vrbano VIII. concesso, omnes pænas, post mortem expiandas, exsoluere vna vice in anno licet. quinimo diebus singulis Indulgentiam noxarum per triginta dies olim luendarum, consequi fas est ei, qui Litanijs Sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ (quæ inibi qualibet die, hora consueta, legi solēt) præsens interfuerit. Cōtinet idē Palatium Conclauia varia magnifica, in quibus scutulæ marmoreæ inductæ pauimento. marmorati item Camini: fornaces æneis innituntur fulmentis, lucido pede superbientes. Fenestrarum margines, coronidesque, & antipagmenta secto lapide: lacunar vndique cælaturis præstantissimis, & picturis artificiosissimis oleo super inducto magnificè ornatum. Talia verò Palatia quatuor habentur, quo-

Sacellum.

Conclauia va-

tur, quorum ſingula ſuo periſtromate ſerico filo texto, acuque Itala picto gaudent. In alijs ſiſtunt menſæ marmoreæ; in alijs aliæ id genus emblemate vario cruſtatæ. ſellæ ſerico inductæ heteromallo coloris purpurei alibi, alibi prout & fores, ſegmentatæ teſſellatæque conſpiciuntur. Inter Palatia & Triclinium, exedra eſt, ſatis ampla cum ſedilibus, & camino. candelabro æneo æquæ magnitudinis, medio laqueari, pendente: circumſtrata in parietibus corijs inauratis, ectypa non pauca referentibus. Ab hac exedra, venitur ad Triclinium apprimè capax, & perquam amænum affabreque conſtructum. hic, ſolum opere tectorio marmorato ſuperſtratum: imum cælum phidiaco opere ſpecillatum, laqueatumque auro: Imagines lacunaribus incluſæ admirandæ artis. crepido, Regum & Monarcharum viuas effigies, quibus ſubſcripta vniuſcuiuſque Scita, ſuſtinet. Feneſtrarum oræ & telamones è ſaxo elaborati: Fornax ſtemmatibus Illuſtriſſ: Patrisfamil. in ſignis: caminus eiuſdem ſtemmate è marmore ſecto integitur. medio verò Triclinij candelabrum ſumptuoſiſſimum concernitur. Huic Triclinio, Podium contiguum eſt, ſanè elegantiſſimum & cultiſſimum, multo vſui ſeruiens. In ipſo verò Triclinio totum id reperias quod menſas inſtruere, & adornare aſſolet.

Exedra.

Triclinium.

Inferius autem indeſcenſu habentur prioribus ſubdita Palatia concamerata. His vicini habentur fornices & cubicula in apſida curuata, quibus res commodè & tutò aſſeruentur. Tanta (vt paucis rem concludam) Domus huius eſt capacitas: vt cùm Sereniſſimus Rex pientiſſimæ memoriæ SIGISMVNDVS III. cum Sereniſſima Regina Anna & poſtmodum cum Sereniſſ. Conſtantia, cum SS°. Archiduce CAROLO, & cum SS° Principe VLADISAO, cumq; ſuæ Aulæ aſſeclis omnibus Radzieiouicios viſitaret, recipiendis ijs commodè & oportunè fuerit ſufficiens. Palatium ſuperius tegit Aromataria Officina, ſatis in longum latumque producta; conditaneis, antidotis, aquis igni eliquatis, aromatibus, hyalo & vitro eleganti refertiſſima, cuius latus, Bibliotheca non vulgaribus referta libris, tenet. Eſt & alia huius è regione ſtructa muro Domus, Conclauia quinq; continēs, & artoptæum non anguſtum, fornice clauſum; cui ſimile non facile inueneris. Eſt & tertium Ædificium lignis compactum, manu veteri non infabrè elaboratum, laxa domus hypogæis inſiſtens. Sunt & extrema in quadri parte conclauia murata cum caminis pro famulatu aulico: Quæ annexa inuicem ſeptem numeraueris. hiſq; adiungitur Hypocauſtum ſatis amplum itidem muro ſtructum. Nec omittenda eſt Culina, ſtagni aquis inhærens, palis depactis innixa, cum hypocauſtis eius duobus: Vno archimagiri, altero Cruſtularij, Cellaq; penuaria, Ichthyotrophioq; ſeu Viuario piſcium, & alijs quæ in ſuo ambitu continet commoditatibus. Area latiſſima lapide ſtrata tota, muro locis diuerſis, & vt neceſſum erat, incincta. Horreum, & Granarium ſcandulis totum ſupertectum, cui non facilè par videas. Pometum etiam multis conſitum arboribus, in quo piſcinæ aquâ ſcaturientes perenni, aliquot. Viridium quoq;, in quo ars topiaria non parum deſudauit, illi Palatio ſubeſt; quod inde intueri, & cochlidio ad illud deſcendere licet. Viridium hoc, nec ita longum eſt vt faſtidium obeunti

Habitationes Inferiores.

Aromataria &

Bibliotheca.

Culina.

Viridium.

eunti pariat, nec ita accisum, vt angustias accusare possis. Venusta proportio hoc commendat maximè. Visuntur in eo areolæ & porculeta 16: viæ laxæ transitu: quæ texto vimine & flexilibus ramis concamerantur, vt vmbra venientes defendat ab æstu. Vnda liquidissimo decurrens vado totum præsecat hortum, aliquot in locis certis lacusculis distincta; non sine quibusdam ad oblectandum animum decipulis; Quorum quilibet, varios conditos innutrit aqua pisces. Idem Viridium diuersa apporrigit ludicrorum genera: vt sunt, sphæromachia, tabellæ ferreæ, & cetra metam iaculantibus designans. Ex hoc Horto abitur ad Balnearia, instructissima omnibus, suum hypocaustum & conclaue habentia: Quibus Serenissima Regina Constantia olim sæpius vtebatur. Nec hinc procul Canile visitur altissimis sepibus cinctum; in quo pro Auibus diuersis & Canibus sunt sua domicilia & cellulæ. Taceo amplum Zytocopæum: stabula pecuaria non commemoro. Alia porta è Viridio inuitat ad Theriotrophium; in quo ceruos non paucos conspicias; cuius per medium, vias vnda explicat, & leni susurro strepens vicinum amnem ingreditur. In eius verò vndæ manantis ripâ, gratissimas herbas & flores, Vernum præsertim tempus, surrigit; mirificas inambulanti delicias.

Balnearia.

Canile.

Theriotrophium.

Quare Rex Serenissimus SIGISMVNDVS III. cum Serenissima Regina Anna, & postmodũ Sereniss. Constantia cõsortibus suis, quoties vicinum iter Radzieiouicijs faceret, toties lubens eos visitaturus descendit. Nec vnquã petitioni Illustriss. Palatini, dum ab eo inuitaretur, pro Sua Beneficentissima Gratia non morem gessit. Vices autem quibus illi Radzieiouicios, cum Serenissimis & tota sua Aula inuisere libitum erat, minimum decem numeraueris. Vbi nullius è vultu tristitiam legere erat vnquam. Nuncios Apostolicos quotquot Polonia salutauit, omnes Radzieiouicijs officiosissimus hicce Paterfamil. tractauit liberalissimè. Nullumq; exterarum Gentium Legatum, aut alios Viros Clarissimos; nunquã non genialiter & magnificè accepit.

Tibi itaq;, Illustrissime Palatine Lenciciensis, iure gratulor. & exopto ac voueo, vt Tu hac ætate tua, annis maturus sed serenus & alacer, Serenissimum Regem VLADISLAVM IV. cum Tota eius Regia Serenissima, Domo Hac Tua in annos singulos, diu incolumis, hilare accipias, basiliceq; tractes. Et, vt Proles Tua Illustris, cursum vitæ suæ exemplo Tuo Illustrissimo dirigens, Gratiæ cumprimis Præpotentis Dei, tum etiam Serenissimi Regis cumulandæ insistat, tum denique aliorum Amicorum Tuorum Beneuolentiæ & Amori sem per conciliando & conseruando adlaboret.



HOSPI-

HOSPITES REGE SERENISSIMO VLADISLAO IV. RADZIEIOVICIIS DIEBVS NOVEMB.

immorante, magis præcipui, hi fuere.

REX SERENISSIMVS VLADISLAVS, POLONIÆ ET SVECIÆ, MAGNVS DVX MOSCHOVIÆ ELECTVS.

SERENISSIMI PRINCIPES POLONIÆ ET SVECIÆ.

SERENISS. JOANNES CASIMIRVS.

SERENISS. JOANNES ADALBERTVS, EPISCOPVS CRACOVIEN.

SERENISS. CAROLVS FERDINANDVS, EPISCOPVS VRATISLAV.

SERENISS. ALEXANDER CAROLVS.

ILLVSTRISSIMI.
ILLVSTRES.
Magnifici Domini. D.

D. Iacobus Zadzik Episcopus Culmensis, Supremus Regni Cãcellarius.
D. Maximilianus Przerębski Castellanus Siradiensis, Referendarius Regni cum Coniuge Illustr.
D. Paulus Sapieha ProCãcellarius Mag. Duc. Litu. cum Illustr. Coniuge.
D. Nicolaus Daniełowicz, Thesaurarius Regni, Samboriensis, &c. Capitaneus.
D. Sigismundus Kazanowski, Succamerarius Regni, Kokenhausensis Capitaneus.
D. Georgius Osolinski ViceThesaurarius Regni.
D. De Dona, Vir Illustr. in Silesia.
D. Opacki Succamerarius Varsauiensis.
D. Gębicki, Capitaneus Gnesnen.
D. Daniełouicz Capitaneus Parczouien.
D. Tarło.
D. Sapieha, Capitaneus Rigensis.
D. Kazanowski, Capitaneus Bogusłauien.
D. Margrabius Myszkowski, Capitaneus Grodecen.
D. Wodynski Palatinides Podlassensis.
D. Dunin, Subdapifer Rauen.
D. Tyszkiewic, Palatinides Witepscen.

D. Rozen.
D. Rylski.
D. Poniatowski.
D. Przeczychoyski.
D. Rylski alter.
D. Naraiewski.
D. Czarnecki.
D. Cieklinski.

D. Zy-

D. Zyzemski.
D. Zaręba.
D. Izaikowski.
D. Iasnogorski.
R. D. Custos Luceoriensis.
R. D. Kołucki.
D. Buthler.
D. Osmolski.
D. Kawecki.

Capellanorum, Sacerdotum diuersorum, Medicorum, Archiatrorum, Musicorum, Ministrorum ab argento escario & potorio, Atriensium, Draconum, Velitum, Peditum, qui præsentes aderant numerum quis scire queat?

Jllud mihi constat, cuius oculatus testis sum, quod Magnificentissima lautitia, ferculis luculentissimis & genialibus. vti: carnibus Ceruorum, Caprarum Syluestrium, Turdorum, Caponum bene pinguium, mensæ plenissimæ fumauerint. Quæ semper binos missus, bellaria & tragemata, vinumque generosissimum sustinebant. Familiæ, non Regis Serenissimi tantùm, sed omnium prædictorum Hospitum; atque equis omnium copiosissimè & ordinatissimè cibaria diaria subministrabantur. Hæc in super, Zythum præstantissimum, cuppis in atrio Triclinij noctu diuq; non deficientibus, largiter cuiuis suppeditabatur, Xenagogis continuè in vitrea vasa promentibus; atque, quantum quisq; è potu cuperet negatum nemini. Duo item Vinariam Cellam xenagogi seruabant, qui affatim cuiuis volenti vinum affundebant. Quid multa? nemo nisi maleuolus sit, & laudis alienæ obtrectator, rem aliter referat. Quod quia spectat vti ad Serenissimi Honorem, ita & ad Nomen Patrisfamilias tam Liberalis & Officiosi, famulique integerrimi ac subditi fidelissimi S. Regiæ Maiestatis, ideo hoc ita volui scripto persequi, luciq; edere.

Vt exemplo hoc tuo, Palatine Lenciciensis Illustrissime, Senator Regni huius Amplissime, alij etiam in posteritatem Regibus ac Principibus suis Serenissimis promptam gratitudinem & gratam promptitudinem animi sui exhibere, dum res, tempus, locusque ferunt non intermittant.

TVI
TVARVMQVE AMANS
VIRTVTVM.

DO ZO-

DO ZOILA.

ZWyczay to twoi foremny. Że gdy kogo chwalą /
Ciebie Zazdrośći ognie wewnatrz wielce palą.
Wiec przeßydzaß: wykrecaß: czáſem tez vdáieß /
Iż ten owego chwali z pochlebſtwá / y łáieß.
Ey nie grzeczy to / Bráćie / że to ćiebie boli /
Gdy tego / á nie Ciebie / drugi chwalić woli.

ZA CNOTA CHWALA IDZIE, SLAWA,
Y Z IMIONY.
CZYN DOBRZE, A NIE ZAYRZY.
będzieß tez chwalony.

